



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

§. 5. Filii ament observent suos parentes, ac juvent.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79340)

Pontificatu succedebat. Num. 20. 28. IV. Pater moriens peculiariter Primogenito benedicebat. Cornelius hic.

## §. III.

*Filii imitentur bonos parentes.*

**P**atrem habemus Abraham. Luc. 3. 8. Nemo confidat in prædecessoris iustitia, si sibi dominetur iniquitas. Proinde Joannes hanc præsumptionem interimit, ut filiis merita paterna subveniant: quoniam filii Abraham non computantur in semine; sed in fide, ac in imitatione morum, & directione virtutum. Simon Cass. l. 3. Quid proffit Cham? quid Ismael? quid Esau? quid Dina? quod patres carnales habuerint sanctos? Sicut enim per divinam iustitiam unius peccatum alterum non obligat; sic prædecessoris iustitia posteros à malis non liberat, nec ad beatitudinem salvat. Id. l. 8. cap. 12. Non prodest nobilitas generis; & paterna bonitas in filios non transfunditur; neque virtus, more hominum, aut arborum, propagatur: quoniam tantum caro de carne nascitur, non virtus originem habet ex carne; cuius solus DEUS potest esse largitor. Inaniter igitur Judæi de Abraham sibi gloriam vendicabant, quod de suis lumbis essent traducti continuatâ propagine. Id. l. 11. c. 39.

Non fidamus patrum virtutibus; sed, etiamsi celebrem habeas parentem, ne putes tibi illud ad salutem sufficere; aut ad honorem, & gloriam; nisi & moribus illi cognatus sis. S. Chrysof. in ep. ad Rom. l. 19.

## §. IV.

*Filii boni malorum parentum; mali bonorum parentum.*

**E**x pessimis parentibus optimi filii Abraham ex Thare. Gen. 11. 26. Jonathas ex Saule, 1. Reg. 13. 3. Ezechias ex Achaz 4. Reg. 16. 20. Josias ex Amon, 4. Reg. 21. Timotheus ex patre gentili, Act. 16. 1. Job ab Esau duxit originem. Mendoza 1. Reg. 8. annot. 30. ferm. 2.

Quis iustior Noë? & tamen filium habuit impudentem. Isaac quàm sanctus? & tamen ejus filius Esau nullam sanctitatem spiravit. Quis Moysè perfectior? & tamen filios habuit tam degeneres. Quis sanctior Samuele? & tamen pessimos filios habuit. S. Chrysof. hom. 9. in Matth. quid filios Samuelis necessitudo juvit parentis? cuius non fuerunt virtutis hæredes. Mendoza ib.

*Acceperunt (filii Samuelis) munera.* 1. Reg. 8. 3. Disce, non gloriandum in filiis: quia sæpe sunt degeneres. Sic Abraham genuit Ismaelem; Isaac Esau; Moysès Gersam; Heli Ophni, & Phinees; Samuel Joel, & Abia, impios; David Absolonem; Salomon Roboam; Ezechias Manasse; Josias Joakim.

Sicut filius non porrabit innocens iniquitatem patris Ezech. 18. 20. Sic nec filium reprobum decet de patris actibus gloriari. Petrus Bles. ep. 3. ad quandam nobilem.

## §. V.

*Filii ament, observent suos parentes, ac juvent.*

**I**saac non duxit uxorem vivente matre: ne uxoris dilectio dilectionem matris superaret. V. Beda in c. 2. Ex. Gen. 24. 67.

Cavet DEus Ex. 21. 17. ne quis patri, vel matri maledicat. Imò peccati hujus reum eidem pœnæ subdit; ac eum, qui DEO maledicit. Levit. 24. 16.

*In omni opere, & sermone, & omni patientiâ, honora patrem tuum.* Eccli. 3. 9. Non satis est, verbò, & exteriori cultu, parentes revereri; sed etiam facultatibus adjuvare. Et omni patientiâ, ob illius ætatis morositatem, vel ingeniorum diversitatem, vel ob præceptorum rigorem. Pinna in Eccl. Ethol. 37.

*Vidit alios duos fratres.* Matth. 4. 21. Sæpius Christus D. hos duos fratres vidit; cur tunc primum vocat? S. Chrysof. hom. 14. in Matth. causam refert ad ea verba, cum Zebedæo patre eorum: quia unâ cum patre reficiebant retia, cum juvabant, senectam solabantur, iussis obediebant. Ob hanc pietatem digni fuerunt, ut in Christi societatem vocarentur. Id. Ethol. 36.

*Nondum venit hora mea.* Joan. 2. 4. Sanè nondum erat tempus, ut Christus miraculis initium daret; sed maternæ preces tempus mutarunt. S. Chrysof. hom. 21. in Joan. cur, cum nondum horam suam venisse dixerit, implevit tamen matris voluntatem? propterea, ut matri honorem exhiberet; nevé genitricem tam multis præsentibus pudore afficeret. Id. ib.

*Exempla filialis amoris.*

Cum Æthna in urbes, & agros, effudisset incendium, duo juvenes humeris suis parentes illæsi ab ignibus exportarunt. Solinus in Annotat. c. 5.

S. Cuthmannus Conf. Anglus patre mortuò matrem ægram, & pauperem, mendicans circumvexit. Bolland. 8. Febr.

Nobili viduæ Japonicæ, sed pauperrimæ, tres filii erant: quibus dolentibus desse media matrem alendi, pia hæc placuit excogitatio. Ingens auri pondus rex promiserat sistenti ante judicem aliquem furem. Concordant igitur, ut eorum unus, tanquam de furto convictus, à duobus deferatur; sicque aurum capiant, quò matrem alant. Prævaluit junior, mortique offertur, ad judicem sistitur, datur illis præmium. At pietate commoti delatores lacrymantes pretium accipiunt. Quò regi nuntiatio; mittitur, qui eos sequatur, & causam fletus cautè inquiret. Excipiuntur à matre cum ejulatibus omnes pariter lacrymantur miseriam sortem, suamque in fratrem levitiam. Explicatur negotium regi; qui & vinculum solvere; & fratres, matremque ingentibus donis jussit cumulare. Alvarez Jos. III. illustr. 248.

Non aliter dicti Scipiones; nisi quod Cornelius, qui patrem luminibus carentem pro baculo regebat, scipio cognominatus, nomen ex cognomine posteris dedit. Macrobius Saturnal. l. 1. c. 6.

## §. VI.

## Filiis obedientia.

**V**idit scalam, &c. Gen. 28. 12. S. Chrysof. hom. 54. in Gen. considera, obsecro, eximiam curam misericordiae Dei: quia enim juxta consilium matris, propter timorem fratris suscepturum peregrinationem; & quasi erronem quandam viam facere; & solum, atque ab aliis abstractum, nullamque habentem consolationem ullo ex loco; sed totum in supremum auxilium projectum; statim in ipso initio volens confirmare alacritatem ejus, apparet, & dicit: *ego sum Dominus DEus Abraham.* Statim initio itineris languenti Jacob DEus auxilium fert: quia is, qui parentes colunt, mox DEus adest; nec eorum vota differt. Pinna Ethol. 36.

**E**t vidit puteum in agro, tres quoque greges ovium. Gen. 29. 2. En quod recreetur theatro post saxum initiatum. Dormiens caelo, hic puteo excipitur. Ibi videt discurrentes Angelos, hic accubantes oves. Quid fideribus, & pecoribus? unde tanta dormientis, & consecrantis, diversitas coronarum? Nimirum patri obedierat Jacob, cum peregrinantem à domo sua caelo DEus, & promissis excepit. Gen. 28. 1. *Vocavit itaque Isaac Jacob. praecepitque ei. DEO fuit obsecutus, cum erecto in titulum saxo, gregis, puteique spectaculo luditur.* Similiter obedientia ejus in matrem praemiata. Gen. 27. 8. *Fili mi, acquiesce consiliis meis.* - Obedivit matri simplici obedientia, patinam intulit, calicem porrexit; moxque laudatus à patre, praelatus fratri. Ergo, quod Abraham Gen. 22. 10. impetravit, stricto in unigenitum ferro; hoc Jacob in se traduxit structa patri mensa. Servatorem ille Sacrificio, hic patinam demeruit. Obsecutus nimirum Abraham est voci Domini, Jacob matris consiliis acquievit. Oliva l. 2. Strom. §. filiae Jerusalem nolite flere super me.

**Cui illa respondit.** - Judic. 11. 36. Mirare in hac filia obedientiam, religionem, & amorem patriae, quibus se morti generose offert. Potuisset patri replicare: ego non vovi me DEO immolare; nec tu, o Pater, es vitae meae Dominus, ut me in vitam devovere, & occidere, possis. Nolo adolescentula, & illiberis, mori. Sed noluit &c. timebat enim; ne, si mortem recusaret, poena violati voti in patrem, & patinam, redundaret. Cornelius hic.

## §. VII.

## Filiis impiis in parentes.

**I**saac interrogatus in Gerara, Gen. 20. 2. quae ea mulier? quam circumducebat, respondit: *Soror mea est.* Idem pater ejus Abraham Gen. 12. 13. De filiis nostri temporis illud dici potest Didaci Nissenii Polit. eccl. p. 1. l. 7. c. 6. Tollunt, commutant, abradunt, aut certe emendant, aedificia, hortos peniles, totum etiam regendae familiae ordinem; ac omnem statum pater-

nae domus exterminant; ut se patribus sapientiores esse ostendant; & quasi pudeat, aliorum, vel parentum vestigiis insistere.

**Absq; liberis me esse fecistis.** Gen. 42. 36. Sed licet pereat Benjamin, nunquid decem tibi supersunt filii? viderat Jacob decem filios filios vitios irretitos, avaritiam, invidiam, &c. Et quid si sciret parricidium Joseph? Quia ergo paternarum virtutum vidit expertes, degeneres putavit, quasi non essent sui. Orbatus Joseph, & Benjamin, sine liberis se judicat, licet tot liberis sit circumdatus: cum illi duo paternas imitarentur virtutes, secus alii decem. De Castilio Illat. 6.

**Servate mihi puerum Absolon.** 2. Reg. 18. 5. Infelices filii inobedientes; nomen filii amittunt. Non filium vocat, sed puerum. S. Ambrosius in Pl. 118. quâ ratione ante puerum dixit, postea filium nominavit. 2. Reg. 18. 33. *Absolon fili mi!* cur non in utroque aut puerum dixit, aut filium? Verè puer erat, qui parricidio petebat patrem. Non ergo pietatis nomen accipere debet, sed infirmitatis. Ubi vero mortuus est, apud pium patrem personae crimen defecit, natura remansit. q. d. quia nec erimen purgavit, filium vocat. Pinna Ethol. 39.

**Pater, da mihi portionem substantiae, qua me contingit.** Luc. 15. 12. Et cur filius paternam domum spernit? ipsa vita parentis. Sic cupiditate hereditatis astat, ut patris vitam torqueatur. S. Chrysologus l. 1. haeres impatiens patris fatigatur ad vitam. Avara auri, aut dignitatis, cupiditas de parentum funere gaudet. Naxera in Job. 2. §. 39.

Vidi ego juxta Gravelinas rivulum, imò lacunam, in quam infelicem feniculum, veneficii insimulatum, filius, filia, & gener, conjecerant; magistratus studia, ac familiae suae decus, praevertente moliti. Erquia vix aqua in ea scrobe factis erat, ut vel prorum hominem praefocarent, rastellò miselli caput in aquam immersum oppressere. Et huc ter miserimus parens adactus, cum eluctaretur; ad filiam, quam praeceteris liberis dilexerat, conversus flebili ejulatu: tunc, inquit, filia etiam mihi parenti tuo immerenti mortem adferes? at illa tygris Medaë ferocior: sine; pater, sine; mox tecum actum erit; & carnificinam, parricidiumque peregit. Doultremon l. 2. c. 5. lect. 3.

## Poena impiorum filiorum.

**Et comportaverunt super eum acervum lapidum magnum nimis.** 2. Reg. 18. 17. Christianus Adrichomius de hoc Absolonis temporali tumulo: hodieque, ait, ibi turris, & magnus acervus lapidum, est; qui quotidie augetur. Nam peregrinorum quisque solet lapidem illum projicere cum imprecatione: maledictus sit parricida Absolon; & quicumque suos parentes impiè persequuntur, maledicti sint in aeternum. Ipsi Turcae, & Barbari, cum execratione lapides eo jaciunt. Drexel. David c. 28. §. 2.

Qui